

CAPVT II.

HOMONYMIAM VOCIS MILITIAE AC
MILITIS TRADIT.

CONSPECTVS.

- | | |
|---|--|
| §. 1. <i>Triples Militia. Ac 1) quidem: Armata.</i> | §. 5. <i>Milites vocantur Angeli, & cur?</i> |
| §. 2. <i>Ciuilis seu Togata.</i> | §. 6. <i>Sol, Luna, Stellae, Militia coelestis.</i> |
| §. 3. <i>Coelestis.</i> | §. 7. <i>Deus צבאות אלה dictus, & unde.</i> |
| §. 4. <i>Ecclesiae in Militantem & Triumphantem distinctio.</i> | §. 8. <i>Quid per Militiam Esa. XL, 2. intelligatur.</i> |

§. I.

NON a Theologis tantum, sed ipsis etiam Iureconsultis, triplex vulgo militia constitui solet: ARMATA nempe, CIVILIS, COELESTIS. *Armata* seu *Sagata* militia est, cui student milites in militari matricula auctoritate Principis scripti, & publico signo vocati, armisque seu instrumentis bellicis, quibus ad vim inferendam, aut illatam propulsandam cominus veleminus, offensivae vel defensivae uti possint, cincti, hoc insuper praestito iuramento, se nunquam a signis recedere velle. L. 42. ff. de testam. milit. Coll. Iur. Arg. Tom. III. th. 2. pag. 824. ENENKEL. de privileg. milit. Lib. I. c. 4. n. 8. pag. 20. in fin. STRUVIUS in Synt. I. C. Exerc. L. th. 41. TILEMANNVS de Conquisit. Militum, cap. I. §. 5. p. 3. Militum militia hac depugnantium varia olim erant nomina, quae studiose collegit CAROLVS DV FRESNE, Dominus DV CANGE, in Glossar. ad Scriptores Med. & Inf. Latinitat. Tom. II. p. 543. seqq. Erant quippe alii *primi*, alii *secundi* vel *tertii ordinis*: erant *Milites simplices*, *milites unius scuti*, *milites parvi*, *milites feudati*, *milites honorarii*, (qui Gallis *Cheualiers d'honneur*) *Milites Regis*, *Milites vexillarii* seu *Bannereti*, (h. e. viri inter nobiles primarii, qui cum plura ac maiora praedia possiderent, vassal-